

tunc enim probari, ac verificari debet. Corrad. Lib. 7. cap. 2. nu. 15. & seqq. Sanchez Lib. 8. disp. 35. nu. 25. Jusus Lib. 3. cap. 6. nu. 117. Ratio patet ex dictis.

- 331 Ad cognoscendam autem, utrum ex causa finali apponatur vel non, intelligendum est ex relatione Papae; si enim hic in suis litteris ponit, ut asseris, vel asserentes, vel sicut asserunt, vel ut ab ipsis asseritur, videlicet eos esse nobiles, censetur allegata nobilitas tanquam causa finalis, & est probanda. Corrad. Lib. 7. cap. 2. nu. 115. Jusus Lib. 3. cap. 2. n. 118. Barbof. de clausulis. clausul. 116. n. 1. Sanchez Lib. 8. disp. 35. nu. 25. arg. l. omnes. 2. C. de His, qui veniam atat. Si vero statim ab initio ponit, ut asseritur, non addendo, quod ab Oratoribus asseratur, censetur narrata non ab Oratoribus, sed ab aliis poni, & consequenter verificari necessarium non debet. Jusus loc. cit. n. 121. Barbof. loc. cit. clausul. 188. nu. 3. Gonzalez ad Regul. 8. Cancell. Gloss. 32. n. 12. & sequens Rota apud Jusus arg. Authent. si quando. de conslit. pecunia.
- 332 Porro Nobilitas pro verificatione & probatione (quando est necessaria) rursus attendi debet, quomodo in litteris Dispensationis referatur: si enim Oratores simpliciter asseruerunt, se esse nobiles, tunc non requiritur, ut probent, se esse ex nobili stemmate natos, sed sufficit probare, ille nobiliter vivere, ac propterea abstinere ab his, quae populares facere solent. Corrad. loc. cit. nu. 119. Jusus loc. cit. nu. 123. quales sunt etiam Doctores; cum doctoratus nobilitati equiparetur; item illi, qui Officia, vel dignitates exercent, quae aliis Nobilibus conferri solent. Jusus loc. cit. lib. 3. cap. 2. n. 121. Et multo magis illi, qui ex recenti privilegio, aut gratia Principis nobiles existunt. Jusus loc. cit. nu. 132. quia absolute ac simpliciter loquendo revera pro tunc nobiles sunt.

Si autem allegant, se esse ex nobili genere vel stemmate procreatos, debet probari, quod etiam majores, vel saltem parentes fuerint Nobiles. Corrad. lib. 7. cap. 2. n. 119. Jusus loc. cit. nu. 137. quia plus dicit esse de nobili genere, quam esse nobilem. Sanchez lib. 8. disp. 19. nu. 6. requiritur autem & sufficit probare nobilitatem patris. Sanchez lib. 8. Disp. 19. n. 6. Jusus lib. 3. cap. 2. nu. 141. allegans Rotam. Ratio est; quia filius sequitur conditionem patris non matris, per vulgaria.

334 Caeterum probatio fieri potest, & debet vel per testes, vel instrumenta, vel communem famam vel estimationem hominum attestantium, eos nobiliter vivere &c. vel se cognovisse Majores, vel parentes eorum, qui nobiliter vivebant, pro Nobilibus habebantur, vel Officia & dignitates Nobilibus conferri solitas possidebant. Jusus loc. cit. nu. 137. Corrad. loc. cit. n. 119.

335 Principales, vel ex Principibus populi vel loci alicujus se esse, si pro causa allegant Oratores, sufficit probare eos esse viros valde divites, vel ibidem potentes. Sanchez cit. Disp. 19. nu. 6. Corrad. lib. 7. cap. 2. nu. 121. Jusus lib. 3. cap. 2. num. 142. allegans praxin, & stylum, qui stat loco Legis: quae probatio omnino non requiritur, si allegatur pro dispensatione generali causa dicta Ex certis & rationabilibus causis; sicut supra à nu. 328. dictum est de Nobilibus.

336 Ex honestis familiis sese esse, si asserunt, & pro causa allegant Oratores, sufficit probare, eos honeste vivere, & familiam eorum nulla turpitudinis nota laborare. Corrad. loc. cit. n. 118. Jusus loc. cit. num. 143.

337 Deis defectus pro causa si allegatur, debet praeter dicta n. 81. advertere Executor, quod litteras Dispensationis exequi, seu dispensare actu non

possit, nisi prius instrumento publico assecuretur; quod dos competenter aucta, vel ex integro data & assignata sit, casu, quo in supplicatione allegatum habetur, quod incompetentem dotem mulieris augere, vel indotatam ex integro dotare intentio sit. Corrad. lib. 7. cap. 2. n. 37. quia apponitur expressa clausula, & postquam dicitur Oratoris dos competenter aucta fuerit &c. ut praesertim.

Angustiam loci pro causa dum allegant, praeter dicta supra à nu. 76. observandum, quod intelligatur, & probari debeat Angustia loci, seu domicilii originis non habitationis, nisi Pontifex aliquid in litteris exprimat. Corrad. lib. 7. cap. 5. n. 31. Barbof. de Off. & potest. Episc. Allegat. 4. n. 8. Jusus de Dispens. lib. 3. cap. 2. n. 2. docente id stylo & praxi.

Aetas mulieris pro causa si allegatur, probari potest vel ex libro Baptismali, vel per testimonium Parochi ex illo desumptum. Communis Ratio est; quia libri Baptismales Parochorum plene probant juxta dicta Lib. II. Tit. XXII. de Fide Instrument. num. 127. In horum defectu eadem aetas probari etiam ad propositum poterit per parentes, fratres, aut sorores, ut merito docet Alexand. de Nevo Consil. 1. nu. 11. contradicente Jusus lib. 3. cap. 8. n. 15. Ratio est; quia juxta dicta non requiritur probatio Judicialis, & de rigore Juris exacta aut perfecta, sed sufficit extrajudicialis, arbitrio iudicis, cujus conscientiae, & discretioni relinquatur; prout patet in aliis dispensandi causis.

Illud tamen notandum, quod annus 24. debeat esse perfectè completus, adeo ut si unicum diem deesse constaret, Dispensatio valide fieri non posset. Garcias de Benefic. p. 6. cap. 2. num. 85. Jusus loc. cit. num. 16. Paris. de Resign. lib. 4. q. 2. nu. 17. Ratio est: Tum quia Dispensatio est odiosa, & strictè interpretationis juxta sepius dicta: Tum quia, quando lex vel Legislator certi anni meminit, intelligit completum. DD. citati arg. l. qua etate. ff. de Testament. Addit Jusus loc. cit. nec sufficere, etsi mulier tempore executionis requiritur aetatem completeret; contrarium tamen supra n. 221. probavimus. Ex quo inferitur, quod si aliquot dies, vel septimane, aut etiam mensis deessent Oratrici tempore, quo litterae Dispensationis Roma advenirent, possit vel Oratrix dispensationem illarum, vel Executor praesentiarum executionem differre per dicta à nu. 221.

Ab incestus reatu & excessibus hujusmodi &c. ab solvas pro utroque foro: haec clausula semper inferitur, quando ad praecedentem copulam incestuosam, vel jam contractum Matrimonium cum consanguinea, vel Affine fit Dispensatio; ut patet ex copia nu. 293. & 294. allegata. Circa quam clausulam notandum, ad hanc absolutionem non esse necessarium, ut fiat Confessio Sacramentalis, sed posse à Judice Delegato fieri extra confessionem, etiam quoad forum internum, seu conscientiae, ita ut deinde taliter absolutus tam in foro externo, quam interno sit immunus à poenis, v. g. excommunicacione, & aliis, quas ob incestum incurrebat. Jusus lib. 1. cap. 7. nu. 201. Sanchez lib. 8. Disp. 34. num. 29. & alii.

Imposita eis &c. solitari poenitentia: Etiam haec clausula in casibus praecedentis numeri semper apponitur; quae tamen conditionem non importat, nec de forma esse censetur, quia de Jure ineft, ut occasione absolutionis imponatur poenitentia. Sanchez loc. cit. num. 29. Jusus loc. cit. num. 109. ut proinde Dispensatio valida esset, quavis poenitentia non fuisset imposita. Aliud est de poenitentia publica injungenda, quando dispensatur in forma pauperum juxta dicenda infra, vel poenitentia specificè deter-

determinatur, uti in litteris Poenitentiarie specificè juxta confesso ad minimum per sex menses juxta dicenda infra. Debet tamen etiam illam ex praeepto imponere Executor, cum ita mandet in litteris Pontifex; Quia verò nulla ibidem certa praescribitur poenitentia, relinquatur arbitrio Judicis imponenda pro diversitate delicti, personarum, circumstantiarum, & temporum can. Tempora. 2. cau. 27. q. 7. & can. 1. de Poenit. distinct. 5. Nec tamen est necesse, ut publica poenitentia imponatur Oratoribus, etsi delictum eorum sit publicum, quia, si id vellet Papa, exprimeret, prout clarè exprimit, si dispensat in forma pauperum juxta formulam infra nu. 406. allegandam, ibi expressè mandat Executori publicam poenitentiam imponas, dum e contra in forma Dispensationis ordinatae tantum praecipit, ut imposita solitari poenitentia abtolvat. Ratio diversitatis esse potest, quod taxa pecuniaria à dispensatis in forma ordinaria solvenda, vices quodammodo supplens poenae publicae ob delictum publicum debet.

342 In utroque foro &c. absolvas: vi cujus clausulae potest, & debet Executor Oratores à poenis in utroque foro, id est tam interno quam externo, tam Ecclesiastico quam civili absolvere: dummodo in foro aliquo externo nondum sint delicti juxta dicenda infra nu. 326. vel si delati jam sint, dummodo sententia contra se lata aut ferenda prius paruerint seu satisfecerint juxta dicenda num. 19. ex plurium Diocesium consuetudine doceat, Executorem delegatum posse alteri subdelegare potestatem absolvendi Oratores ab incestu & poenis illius; tamen securus est, si ipsemet Absolutionem praestet; eò quod plures ut Maranta in specul. Auro p. 4. dist. 7. num. 67. doceant, hujusmodi subdelegationem fieri non posse, arg. c. fin. de Off. delegat. & per rationes infra à n. 353. allegandas. Accedit, quod, cum haec absolutio extra Sacramentum poenitentiae fieri valeat juxta dicta supra nu. 340. nullam prolixam in absolvendo difficultatem vel laborem habeat Executor.

343 Et quatenus causa contra ipsos super praemissis in iudicium quoquomodo derivata fuerit, parito iudicatio: haec quoque clausula in casibus num. 340. allegatis semper apponitur, et sique de forma, & conditionem importat, ita ut dispensatio sit invalida, nisi prius acta, & in effectu paruerint Oratores sententiae contra se latae vel ferendae, casu, quo ante dispensationem propter incestum, vel male contractum Matrimonium in foro aliquo externo jam fuissent delati, vel accusati. Corrad. lib. 8. cap. 2. à numer. 27. Jusus lib. 1. cap. 7. numer. 227. Barbof. de claus. clausul. 97. n. 4. & sequens de cetero Rota apud Jusus & Corrad. Ratio est; quia, cum verba illa sint posita in ablativo, conditionem important. L. 2. testator. ff. de condit. & Demonstrat.

344 Nec sufficit ad valide dispensandum, si Oratores interea cautionem praesent de parendo iudicatio in illo foro, in quo jam fuerit delati, vel accusati. Corrad. loc. cit. num. 25. Jusus loc. cit. numer. 229. Genuei in praxi Curiae Archiepisc. Neapolit. idque ob rationem jam dictam; quia nempe clausula parito iudicatio conditionem importat, sub qua datur iurisdicchio dispensandi, & consequenter quae non observata iurisdicchio nulla est; nec potest per aequivalentes adimpleri, arg. l. Qui heredit. §. Mævius. ff. de condition. & Demonstrat. Sard. consil. 186. num. 19.

345 Hinc in praxi bene notare, & observare debent Executores, ut, antequam cum incestuosis dispensent, seu litteras Dispensationis exequantur, diligenter

gerer se informant, & interrogent Oratores, an non anibo, vel saltem aliquis eorum jam sit delatus vel accusatus in aliquo foro externo: si enim vel unus eorum jam delatus existit, nec valide, nec licite exequi vel dispensare potest, sed debet differre dispensationem, donec Oratores sufficientem attestationem asserant, quod in foro, ubi delati prius erant, partitionem plenam praeserint, seu sententiae & poenis ibidem contra se latis, aut ferendis paruerint, ac satisfecerint. Expedit etiam Oratores edocere, Dispensationem fore nullam, si in aliquo foro jam essent delati, & ipsi hoc iniquè negarent, vel se ibi jam paruisse, vel satisfecisse falso assererent.

Caeterum si Oratores reverà in nullo adhuc foro essent delati, crimine incestus forsan adhuc existente occulto, posset omnino, ac etiam deberet Delegatus illos pro utroque foro tam à crimine incestus, & excessibus, quam etiam à poenis abolvere, & deinde cum ita absolutis dispensare.

Et haec absolutio per Delegatum Nomine Pontificis facta suffragaretur, deim Oratoribus in utroque foro tam Ecclesiastico, quam seculari, adeo, ut nullus Iudex secularis propter incestum illos amplius punire, aut illo modo vexare valeat. Jusus L. 1. cap. 7. à num. 203. usque ad numer. 207. item numer. 230. & Lib. 3. cap. 1. num. 26. citans Bartol. de Jaso serrato inter Consulta Matrib. Zilex Volum. 1. consil. 88. n. 12. Genuei Practic. Fori Ecclesiastici q. 703. num. 1. ubi asserit, sic etiam fuisse iudicatum in Lusitania. Ratio est; quia in criminibus mixti fori, quale crimen etiam est incestus, Reus absolutus à crimine per unum Iudicem, ab alio de eodem crimine amplius iudicari, & puniri non potest, arg. c. 6. de Accusat. & ibi Gloss. ac communis DD. juncto c. 2. de Except. in 6. Concordant Leges Civiles ut L. Praevocacionis. 3. §. 1. ff. de Praevocac. l. sicut crimen. 7. §. 2. ff. de Accusacionib. ibi: isdem criminibus, quibus quis liberatus est, non debet Praeses potè eumdem accusari. l. senatus 14. ff. eod. senatus consult. ne quis ob idem crimen pleribus legibus reus fieret.

Quod procedit non tantum, quando absolutio facta est per viam iustitiae, aut sententiae, sed etiam si per dispensationem conceditur pro foro externo, ut in casu nostro. Jul. Clar. §. fin. q. 57. n. 9. Covar. variat. resolut. cap. 10. num. 2. Sperell. Decisione 134. num. 69. cum Gloss. communiter recepta in cit. c. 6. de Accusat. Ratio est; Tum quia Divina clementia dimissa peccata in ultionem ulterius redire non patitur, ut dicitur Can. Divina Clementia. de Poenit. dist. 4. & can. si illic. 29. cau. 27. q. 4. ubi ad imitationem Divinae clementiae homo Iudex procedere jubetur. Tum quia Dispensatio in locum totalis poenae subrogatur, Baldus in l. cunctos populos. C. de summ. Trinit. numer. 44. arg. l. quid ergo. 13. §. 7. in fine ff. de His qui notantur infamia.

Limitat quidem doctrinam hoc numer. 346. possitam Sperell. Decis. 92. numer. 10. in casu, quo Iudex Ecclesiasticus abolvit Reum à crimine subiecto poenae sanguinis; tali enim in casu, ait, cum Iudex Ecclesiasticus poenam sanguinis in se gere non possit, ab eadem etiam abolvere, vel cum eo dispensare non valet; consequenter Reus à Judice Ecclesiastico quoad caetera absolutus, adhuc puniri poterit à Jure statuta. Verum videtur loqui de Iudicibus Ecclesiasticis inferioribus Papae, non item de ipso Papa, qui hoc ipso, quod in cuncta crimina plenam potestatem ac Iurisdictionem habet per vulgaria. Reum à quovis crimine & poena illius quacunque abolvere potest, & per dictam clausulam à poenis pro utroque foro absolvas, dispensare censetur.

hoc ipso, quod generaliter, seu universaliter prolata generaliter veniat intelligenda, arg. c. Quia circa de Privileg.

347 Et recepto ab eis juramento, quod sub spe facilius habenda Dispensationis incestum non commiserint; vi hujus clausulae debent Oratores in manibus Delegati juramentum praestare, quod spe facilius consequenda dispensationis non peccarint, quia ad evitandam in hoc puncto omnem fraudem, pro majori securitate etiam juramentum ab Oratoribus praestari vult Papa, & merito; nam quae in solo animo consistunt, non nisi juramento probari possunt. Barb. de Offic. & potest. Episc. allegat. 32. numer. 23. Mascard. de Probat. conclus. 94. numer. 5. quod si vel una pars fateatur, se sub spe facilius consequendi Dispensationem peccasse, non potest Executor dispensare. Justis lib. 1. cap. 7. numer. 200. patetque ex dictis supra num. 55. quorum ulterior ratio est, quod, cum juramentum istud per clausulam in ablativo positum requiratur, conditionem importet. c. l. qui heredi. ff. de Condit. & Demonstrat.

348 Si autem Oratores vel saltem unus eorum falso juret, negando se habuisse praefatam spem, quam revera habuit, dispensatio, & inde subsequens Matrimonium invalida sunt, quia deest mens & voluntas dispensandi. Potest tamen talibus deus succurri (absque hoc, quod juramentum falsum publice confitendo se ipsos dissimant, & de novo dispensationem petant pro foro externo) si nempe scribatur pro eis ad Sac. Penitentiarium; allegando fideliter casum, qualiter cum ipsis ad praecedens falsum juramentum dispensatum fuerit & rogando, ut cum delictum novum, & invaliditas Matrimonii publicae contracti existant occulta dispensare dignetur ad evitanda scandala verosimiliter oritura ex eorum separatione, casu enim ita narrato tolet Sac. Penitentiarium in secreto dispensare; dummodo spes illa habita & juramentum falso depositum adhuc sint occulta, & scandala ex separatione verosimiliter oriri possent, ut bene advertit Corrad. lib. 3. cap. 1. numer. 22.

349 Illud tamen specialiter hic notandum, posse contingere, quod aliqui habeant copulam cum spe consequendi dispensationem absque hoc, quod dicantur habuisse copulam sub spe facilius obtinendi Dispensationem; illi nempe, qui, dum carnaliter peccant, habent quidem spem obtinendi Dispensationem, sed non ideo peccant, ut facilius impetrent Dispensationem, seu non sub spe facilius consequendi Dispensationem. Ratio est; quia Pontifex per clausulam supra num. 347. allegatam non omnes cum spe obtinendi Dispensationem peccantes, sed illos tantum intelligit, qui sub spe facilius obtinendi dispensationem, seu qui ideo peccant, ut facilius obtineant Dispensationem, seu quia sperant, quod crimine admissio eam facilius sint obtenturi, adeo, ut spes facilius obtinendi sit causa, & motivum committendi crimen & consequenter scandalum, & anima peccati, prout aperte patet tam ex consueta formula supplicandi, quam dispensandi: Nam in consueta, & apud Curiam recepta forma supplicandi non comprehenditur sub praefata clausula, neque indignus Dispensatione reputatur, qui cum veritate proponit, quod non peccaverit data opera, ut crimine admissio haec causa foret. Sanctitatem Vestram, & Sedem Apostolicam ad misericordiam & gratiam erga ipsos faciliores reddendi, hoc autem cum veritate dicunt illi, qui juxta casum nostrum carnaliter peccantes per accidens tantum conjunctam habent spem consequendi Dispensationem. Item in forma Apostolicarum litterarum Dispensationis illi in clausula praefata non includuntur, nec

Dispensatione indigni reputantur, qui cum veritate jurare possunt, quod sub spe NB. facilius obtinendi dispensationem incestum non commiserint, quod rursus omni cum veritate jurare possunt in casu nostro. Cum itaque in omni dispositione verba intelligenda sint juxta propriam suam significationem l. Non ulter. ff. de Legat. III. Et ultra proprium sensum non sint extendenda, praesertim in materia odiosa c. odia de Reg. J. in 6. & l. 4. ff. de Panis. Imo verba clara (qualia sunt verba clausulae) nullam admittant interpretationem textu claro l. Ille, aut illa. ff. de Legat. III. debentur in solo claro eorum sensu manere juxta dicta. Et nota; aliud esse peccare cum spe Dispensationis, vel etiam peccare, quia spero Dispensationem: aliud verò peccare NB. ut inde facilius dispensationem obtineam, vel quia scio, vel spero ob copulam habuimus facilius dispensandum fore. Et de hoc potiori, non item priori interrogari censetur, & jurare debent Oratores; cum per copulam sub sola hac posteriori, non item cum priori spe factam vitetur dispensatio.

Inferur; Oratores illos, qui ante, vel sub copula habuerunt quidem etiam spem obtinendi Dispensationem, sed tamen sub spe, seu propter spem facilius obtinendi Dispensationem, crimen non commiserunt, seu non peccarunt, ut facilius obtineant Dispensationem, posse cum omni veritate & pura conscientia in supplicatione dicere, non quidem peccandi data opera ut crimine admissio etc. juxta formulam num. 293. allegatam. Et coram Executori jurare, quod sub spe facilius obtinendi Dispensationem incestum non commiserint. Quod bene notandum Confessariis; quia servit pro multorum consolatione, praecipue verò illorum, qui ignorant, quod post copulam incestuosam commissam facilius dispensetur; quales sunt saepe omnes simplices & plebei & aliam minis docti in his partibus, consequenter saepe omnes sine spe facilius consequendi Dispensationem peccantes, cum, ignoti nulla sit cupido per vulgaria.

350 Dicta mulier diffamata & inupta vemaneret, gravius inde scandala possent verosimiliter exoriri. Ad verificandam hanc clausulam non est necesse, ut scandala tempore impetrationis vel executionis litterarum Dispensationis, actu jam vigeant, vel certo & evidenter eventura credantur, sed sufficit probabilis timor futurorum scandalorum v. g. inimicitiarum inter Oratorum consanguineos, vel incontinentiae Oratorum, vel quod mulier diffamata non possit amplius alii competenter nubere, & hoc ipso subiacet periculo incontinentiae &c. Sanchez lib. 8. Disp. 19. numer. 9. & 10. Corrad. lib. 3. cap. 1. numer. 7. Justis lib. 1. cap. 7. & nu. 47. Felin. consil. 26. nu. 19. suadente id stylo, & praxi conformiter subsequentibus Papae verbis in Dispensationis litteris. Nos igitur, qui salutem querimus singulorum, ac scandalis quibuslibet, ne eventiant, quantum cum Domino possumus, libenter obviamus: per quae verba satis indicat, se etiam ad vitanda scandalorum pericula dispensare. Hinc quia casu, quo copula jam est publica, consequenter mulier diffamata, vel Matrimonium jam fuit contractum, ordinarie scandalorum pericula sint timenda, nisi dispensetur, potest Executor absque scrupulo, & absque multa indagine in hujusmodi casibus dispensare, quando scandala exortura fore allegata; quia quae ordinarie contingunt, semper probabilem causant timorem ulterioris contingentiae in simili casu.

351 Porro ad probandum infamiam mulieris ortam non ex copula, sed suspitione copulae, sufficit probare, ab aliquibus vitam esse, inter Oratores intervenisse oscula, amplexus, vel tactus impudicos, & suspectas

pectas confabulationes. Corrad. loc. cit. num. 8. & alii. Ratio est; quia ex talibus plerumque oritur suspicio copulae. Gloss. in l. quod cui lex ff. de Leg. Jul. de Adult. Mascard. de probat. concl. 57. numer. 5.

353 Quod impedimento quarti Consanguinitatis vel affinitatis gradus hujusmodi etc. non obstante dispensetur. Antequam dispensetur Executor, debet se informare de allegato impedimento, an revera ita se habeat, an non sit error circa illud, vel gradum, tunc enim exequi non posset per dicta supra n. 215. Porro Consanguinitas, & Affinitas, an, & qualis existat inter Oratores, optime probatur per eorum Consanguineos, vel Affines, utpote qui ordinarie majorem notitiam habere solent de parentela propria & affinitate. Mascard. de Probat. Conclus. 410. numer. 35. Corrad. lib. 7. cap. 6. nu. 46. quamvis & alii ceteroquin idonei testes admittantur, arg. c. Licet ex quadam de Testib. & Atestat. deficientibus consanguineis, etiam per alios idoneos praesertim concives, & Oratorum, eorumque majorum, ac consanguineorum notitiam habentes, probari potest. arg. cit. c. Licet. ubi probandi consanguinitatem, & affinitatem forma praescribitur. Videantur etiam Arbor Consanguinitatis, & alia ad probandam, & cognoscendam Consanguinitatem & affinitatem dicta Tit. XIV.

354 Dispenses; quae clausula donatur. gratiam Dispensationis nondum esse completam seu perfectam, sed perfectam, & compleri primum debere ab Executori, & quidem personaliter, ita ut non possit potestatem dispensandi alteri subdelegare, ut bene docet Sanchez lib. 3. Disp. 27. numer. 43. Menoch. Consil. 17. num. 12. Felin. in c. fin. de Off. delegat. & alii. arg. c. fin. de Off. deleg. Ratio est; quia dispensare est nudum ministerium cit. c. fin. Pro quo notandum, quod Papa in Dispensatione Matrimoniali duo committit Executori, videlicet jurisdictionem examinandi, & informationes capiendi, an preces veritate nitantur, & nudum ministerium, scilicet penitentiam imponendi, absolviendi, dispensandi, & legitiandi prolem. Primum nempe jurisdictionem capiendi informationes, citandi, & examinandi testes &c. bene potest subdelegare Executor, non tamen posterius; eo quod jurisdictionem quidem, non verò ministerium subdelegare possit Delegatus (excepto Legato Apostolico) uti bene & solide distinguendo docent DD. citati textu claro cit. c. fin. §. fin. de Off. delegat. ibi: Ceterum (salva Legatorum Sedis Apostolicae auctoritate) nulli, cui commissum fuerit praedicare crucem, excommunicare, vel absolvere aliquos, dispensare cum irregularibus, injungere penitentias, licet haec de cetero aliis demandare; quia sibi non jurisdictionis, sed certum ministerium potius committitur in hac parte.

355 Disantiam verò tertii gradus praefatis eis non obstat, debet necessario etiam exprimi propinquus, non ut super illo dispensetur (nisi esset primus) sed ut declaretur, eum non obstat, per dicta a num. 170. Hinc si reperit Executor, Oratores inaequaliter distantes, tantum expressisse remotiorem gradum (quod aperte colligit, si dicta clausula non habetur in litteris) dispensare non potest, per dicta loc. cit. sed instruere debet Oratores, ut novas litteras perinde valere dictas Romae obtineant. Quod si Executor nihilo minus dispensaret, Dispensatio, & inde subsequens Matrimonium nulla, consequenter Dispensationis litterae perinde valere necessariae forent, quae dari solent juxta Formam supra num. 173. allegatam: quae tamen litterae non amplius illi, qui nulliter dispensavit, sed alii exequendae Reissuel Jus Can. Tom. IV.

committuntur; uti patet ex copia num. 173. & num. 179. allegatis.

Prolem suscipiam, si qua sit, & suscipiendam, exinde legitimum declarandi: haec clausula utitur Papa, quando ex praecedente inter Oratores copulata proles ante Matrimonium jam est concepta, vel adhuc ante Dispensationem, aut Matrimonium timetur suscipienda; item si ex Matrimonio nulliter contracto fuit concepta. Quae clausula datur Executori mandatum; ut legitimet, seu legitimum decernat prolem illegitimam natam. Est tamen magna differentia inter effectum legitimationis, quae legitimitur proles ante Matrimonium nata, & illius, quae legitimitur nata ex Matrimonio nulliter contracto.

356 Nam legitimitas, qua Pontifex, vel ejus Nominis Executor legitimat prolem natam ante Matrimonium, censetur tantum legitimitas quoad effectus spirituales, seu Ecclesiasticos, beneficia v. g. Ordines, honores, dignitates Ecclesiasticas, non item quoad effectus temporales, civiles, & politicos, successorem v. g. haereditates, feuda &c. nisi de eisdem territorio temporali existant subditi, Sanchez lib. 3. Disp. 7. numer. 7. Corrad. lib. 3. cap. 3. numer. 50. & 53. Justis lib. 1. cap. 7. numer. 270. & alii communiter. Ratio est; quia has proles quoad effectus politicos legitime non potest, prout citati; sicut & alii Tit. XVII. num. 49. allegati Doctores per Jura ibidem producta docent contra Lotharium de Re Benefic. Lib. 2. q. 48. numer. 109. & plures Decisiones Rotae apud Justis loc. cit.

357 Dicitur autem notanter, nisi sint de ejusdem territorii temporali subditi; cum his enim sicut quoad omnes tam Ecclesiasticos, & politicos effectus dispensare Papa potest; ita etiam per dictam clausulam dispensare censetur, hoc ipso, quod sit generalis, consequenter generaliter veniat intelligenda arg. c. quia circa de Privileg.

358 Contra legitimitas, qua Pontifex, vel ejus Delegatus legitimat prolem natam ex Matrimonio nulliter contracto, prodest proli quoad omnes tam politicos nempe, seu civiles, quam Ecclesiasticos effectus: eo quod tunc dispenset in radice Matrimonii, & ita dispensando faciat, ut Matrimonium prius invalide contractum, tanquam validum habeatur etiam pro illo tempore, quo invalide erat contractum, ac per consequens etiam proles ex illo prius invalide genitae, tanquam ex valido procreatae reputentur: prout cit. Tit. XVII. numer. 51. jam dictum ac probatum habetur atque ulterius, & insigniter probant Corrad. lib. 3. cap. 3. a num. 46. Justis lib. 1. cap. 7. a num. 269.

359 Solum notandum, quod Papa censetur in radice Matrimonii dispensare, & per dictam clausulam proles ex illo genitas legitime quoad omnes effectus, non tantum, quando utitur terminis ut ex tunc, vel ut per prius, sed etiam quando dicit, quod in Matrimonio prius nulliter contracto permanere, vel illud de novo contrahere valeant; dummodo praefata clausula pro legitimatione proli ex invalido Matrimonio conceptae apponatur, uti contra Sanchez lib. 3. Disp. 7. bene probat Justis lib. 1. cap. 7. n. 284. Garciae p. 7. cap. 2. num. 42. Corrad. lib. 3. cap. 3. nu. 50. & segg. dicens, opinionem Sanchez in hoc puncto pluries esse rejectam ac reprobatam a Rota.

360 Solet Pontifex etiam adhibere clausulam, prolem suscipiendam exinde legitimum nutiando in casu, quo nulla praecessit copula. Verum hoc facere censetur ad abundantiam ad tollendos scrupulos; uti cum aliis bene notat Corrad. lib. 7. cap. 7. eo quod

quod proles ex subsequenti Matrimonio per Dispensationem valide contracto nata, absque ulla alia legitimatione, quoad omnia perfecte censetur legitima, claris Juribus, quae habes supra Tit. XVII. qui filii sunt legitimi.

359 Queritur IV. quomodo Executor visis & consideratis litteris Apostolicis in praxi se gerere, & qualiter ad executionem procedere, eamque expedire? vel inventa falsitate aut defectu eam negare, & Oratoribus consulere debeat? Resp. I. si visis, & consideratis litteris Apostolicis Executor reperit, eas esse conformes stylo consueto juxta dicta, nec insolitas continere clausulas, facit Decretum super capienda informatione tenoris v. g. sequentis.

Die &c. anno &c. Revmus litteras ab NN sibi presentatas omni qua decet, reverentia recepit, & mandavit super expositis, & narratis in praedictis litteris debitas capi informationes ad hoc &c. & ita &c.

Postea per se vel per alium incipit informationem capere de expositis per Oratores ac videre, an nil necessario exprinendum sit omnium, an preces veritate nitantur, Principaliter autem, an causa motiva subsistat, & impedimentum ita se habeat, ut sit expositum, praesertim an etiam gradus propinquus fuerit expressus, casu, quod inaequaliter distat ab dicta a num. 170.

360 Si impedimentum & cause dispensandi probari possunt per testes, ut consanguinitas, Affinitas v. g. assumendi sunt duo testes idonei, qui examinari, & deponere debent super praefato impedimento & causa; qui testes, licet absque exacta forma judiciali, & sine juramento (nisi de paupertate Oratorum examinentur) examinari valeant, tamen aliqua cum forma examinandi sunt, ita ut saltem praemittantur generalia interrogatoria consueta, & quavis semper dicat causam sui dicti, sive scientiae, id est, unde vel quomodo sciat, quod dicit, seu deponit.

361 Resp. II. Si ex informatione capta Executor deprehendit, esse omnium aliquid de necessario exprinendis juxta dicta §. IV. vel errorem vitiantem Dispensationem juxta dicta a num. 210. aut falsitatem in causa finali seu motiva commissam juxta dicta a num. 205. non potest litteras exequi, sed, si defectus sanari potest, tuadere debet Oratoribus, ut procurent novas litteras Apostolicas perinde valere dictas exinde, quod sanent & revalident gratiam seu litteras prius nulliter obtentas, perinde ac si ab initio rite & valide impetratae fuissent, prout bene observat Corrad. Lib. 8. cap. 5. a num. 39.

362 Porro ad impetrandas novas litteras Dispensationis perinde valere, fit supplicatio eodem fere modo, quo pro primis litteris juxta dicta a num. 240. ita tamen, ut facta solito ingressu enarretur, qualiter prius per errorem, aut falsitatem, aut omissionem necessario exprinendi impetratae sint litterae Dispensationis, fideliter etiam exprinendo plures errores, defectus, aut falsitates, si in prioribus litteris reperiantur: alias enim, si unus tantum error, aut falsitas enarratur, & mediante perinde valere sanatur, ipsum etiam perinde valere nullum, ac subreptitium erit, novaeque litterae perinde valere super alio perinde valere dictae impetrari debent, casu, quo duo vel plures vitiantes errores aut falsitates in prioribus continebantur.

Ut autem facilius fieri valeat supplicatio pro novis Dispensationis litteris perinde valere dictis, unam & alteram formulam subiungimus.

Formula supplicationis pro Perinde valere ob impedimentum novum contracto jam Matrimonio detectum.

Beatissime Pater. Aliis S.V. pro parte devotorum illius Oratorum Bizantii Lorenciani laici, & Dorotheae Parmesinae mulieris Neapolitan. Dioecesis exposito, ipsos Oratores, qui ex honestis familiis existunt, ex certis rationabilibus causis, animos eorum moribus, cupere invicem matrimonialiter copulari: Sed quia quarto Consanguinitatis gradu invicem erant conjuncti &c. Quare &c. prout in dictis litteris continetur. Quibus quidem litteris Ordinario praefato presentatis, idem Ordinarius contenta in eis verificari mandavit: verificatisque in eis contentis cum dictis Oratoribus super impedimento praedicto dispensavit; illisque Matrimonium contrahendi licentiam concessit, cujus quidem licentiae vigore Oratores ipsi Matrimonium inter se, per verba de praesenti, publice factis proclamationibus in eorum Parochiali Ecclesia, servata forma Concilii praedicti, nulloque alio detecto impedimento contraxerunt, illisque in facie Ecclesiae solemnizant, & carnali copula consummarunt, in eoque per plures annos permanserunt, prolemque susceperunt, postmodum vero ad eorum pervenit notitiam, eos duplici Quarto Consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, propter quod a carnali copula hujusmodi abstinuerunt. Cum autem, Pater Sancte, Oratores praefati, in hujusmodi matrimonio remanere non possint absque Apostolica dispensatione: & si divorcium inter eos foret, gravia exinde scandala possent verosimiliter exoriri: Supplicamus igitur humiliter E. S. V. Oratores praefati: quatenus eos, ne dictarum litterarum frustrentur effectum, amplioris gratia favore prosequendo, eidem Vicario, ut negotium hujusmodi reassumens, litterasque praefatas valere decernens, cum eisdem Oratoribus super impedimento duplicis quarti Consanguinitatis gradus hujusmodi dispenset, prolemque susceperunt, & suscipiendam exinde legitimam decernat, ac ad earundem litterarum executionem, servata aliis earum forma, procedat in omnibus, & per omnia; perinde ac si Oratores non Quarto esse conjunctos expressum, ac cum eis desuper dispensari mandatum fuisset, committere, & mandare dignemini de gratia speciali. Non obstantibus praemissis illis, quae &c.

Et cum absolute a censuris ad effectum &c. Et committatur Ordinario &c. qui decernat & dispense ut supra.

364 Beatissime Pater. Aliis S.V. pro parte devotorum illius Oratorum Matthaei Parisiensi laici, & Euphrosinae V. mense mulieris Neapol. Dioecesis, dictam Oratricem dotem habere minus competentem &c. cui nubere possit, invenire valerit, & praefatum Oratorem illam &c. in uxorem ducere, illiusque dotem augere intendere: Cupereque &c. Sed quia Tertio & Quarto &c. quatenus &c. Prolem &c. prout in dictis litteris continetur. Quas quidem litteras presentantur: qui contenta in eis verificari mandavit: & cum in verificatione ipsa eis constaret, Oratores praefatos post obtentas hujusmodi litteras carnis fragilitate devictos se carnaliter cognovisse, ad eorum ulteriorem executionem procedere noluit, & ipsorum Oratorum Ordinarius contra ipsos, propter incestum hujusmodi procedendo eos in certas penas condemnavit.

Sup-

Formula perinde valere ob copulam, post obtentas, sed ante executioni mandatas litteras, habitam.

Beatissime Pater. Aliis S.V. pro parte devotorum illius Oratorum Matthaei Parisiensi laici, & Euphrosinae V. mense mulieris Neapol. Dioecesis, dictam Oratricem dotem habere minus competentem &c. cui nubere possit, invenire valerit, & praefatum Oratorem illam &c. in uxorem ducere, illiusque dotem augere intendere: Cupereque &c. Sed quia Tertio & Quarto &c. quatenus &c. Prolem &c. prout in dictis litteris continetur. Quas quidem litteras presentantur: qui contenta in eis verificari mandavit: & cum in verificatione ipsa eis constaret, Oratores praefatos post obtentas hujusmodi litteras carnis fragilitate devictos se carnaliter cognovisse, ad eorum ulteriorem executionem procedere noluit, & ipsorum Oratorum Ordinarius contra ipsos, propter incestum hujusmodi procedendo eos in certas penas condemnavit.

Sup-

Supplicamus igitur humiliter E. S. V. Oratores praefati, quatenus eos, ne dictarum litterarum frustrentur effectum, amplioris gratia favore prosequendo, eidem Vicario, ut negotium hujusmodi reassumens, litterasque praefatas valere decernens, eisdem Oratoribus ac excommunicationis sententia, quam propter praemissa incurrerunt, incestus reatu, & excessibus hujusmodi in utroque foro absolvat, ac ad executionem dictarum litterarum servata &c. procedat &c. perinde ac si carnalis copula hujusmodi secuta non fuisset. Prolem &c. legitimam decernendo, committere dignemini de gratia speciali. Non obstantibus omnibus illis, quae &c.

Et cum absolute a censuris ad effectum &c.

365 Ad modum dictarum facile aliae fieri possunt, plures vide apud Corrad. cit. lib. 8. cap. 5.

Resp. III. Si Executor capta debita informatione juxta dicta supra nu. 301. & n. 359. invenit, preces veritate niti, ac Dispensationis litteras esse legitimas, legitimeque obtentas, debet eas exequi, & actu dispensare; idque praestat faciendo prius Decretum de dispensando, eoque facto Dispensationis litteras expediendo tenoris sequentis.

Formula Executionis litterarum Dispensationis super tertio & quarto gradu Consanguinitatis.

Nos N. N. Rvdissimi & Celsissimi &c. Episcopi &c. in spiritualibus Vicarius Generalis, ad infra scripta specialiter delegatus. Universis & singulis praesentibus vicariis saltem in Domino. Noveritis, fuisse nuper coram nobis pro parte NN. Dioecesis N. presentatas, & a nobis, ea, qua decuit, reverentia receptas, ac lectas litteras Apostolicas sigillos, & alio more Romane Curiae munus, & subscriptas, in nullo vitiatas, nullaque ex parte suspectas tenoris sequentis: (hic inferatur tenor litterarum Apostolicarum: quod tamen necessarium non est, si Litterae Originales servantur in actis, ut bene notat Corrad. lib. 8. cap. 6. nu. 18. dein pergitur.) Post quarum quidem litterarum praesentationem & receptionem coram Nobis, & per Nos, ut praemittitur, factam, fuimus pro parte dictorum NN. debita cum instantia requisiti: quatenus ad executionem dictarum litterarum, & contentorum in eis procederemus. Nos igitur attendit & servata illarum forma mandavimus, super expositis in eis capiendam esse diligentem & summariam informationem; per quam reperimus praedictos N. & N. tertio & quarto Consanguinitatis gradibus, uti exponebant, esse conjunctos, & dictam Oratricem N. propterea raptam non fuisse, omniaque in dictis litteris narrata, & exposita vera fuisse, & esse, ac veritate subsciri. Uicirco (si in forma pauperum expeditae sunt litterae Apostolicae, dictis statim subiungitur) inprimis praefatos N. & N. separavimus ab invicem, etque publicam penitentiam, & Oratori simul id injunximus, ut tribus saltem mensibus operam suam conferret fabricae Ecclesiae N. vel loci N. quibus juxta testimonium fide dignum per eos praestitis, ab eisdem juramentum recepimus, quod si sub spe facilius consequenda Dispensationis incestum non commiserint, & impossitum nostro alia penitentia salutari, ipsos in utroque foro absolutimus: & haec ob dicenda infra §. sequenti a n. 406. si vero dispensatio fit in forma communis omnibus illis, post idcirco statim subiungitur, ut sequitur: recepto ab eis juramento, quod sub spe facilius obtinenda Dispensationis incestum non commiserint, impositaque eisdem salutari penitentia, illos in utroque foro absolvimus. (Si fit dispensatio in casu, quo copula, vel crimen nullum intervenit, etiam

Reiffensuel Jus Can. Tom. IV.

immediate dicta omittuntur, & post idcirco statim pergitur) cum praefatis Oratoribus auctoritate nobis commissa servatis servandis dispensavimus, quod si non obstante impedimento quarti consanguinitatis gradus hujusmodi Matrimonium inter se publicè servata Concilii Trident. forma, contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare, & in eo postmodum remanere libere, ac licite possint. Dispensationem vero tertii gradus non obflare declaravimus; prolem susceptam, si qua sit, & suscipiendam exinde legitimam decernendo (verba illi prolem susceptam, si qua sit, omittuntur, ubi non intervenit copula) Non obstantibus Constitutionibus & Ordinamentis Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque, juxta praedictarum litterarum Apostolicarum formam. In quorum fidelem &c. Die. Mense. Anno.

§. VIII.

De Dispensatione in forma pauperum pro foro externo.

S U M M A R I U M.

366 Dispensatio in forma pauperum quare inducitur?

367 Quid sit?

368 Datur non tantum a Papa, sed etiam Episcopis.

369 Curia Romana eam ob nullam aliam causam concedit, quam ob praecedentem copulam, vel suspicionem illius.

370 Episcopi vero & Nancii etiam ex aliis causis eam concedere solent.

371 Et debet, ac nun. praeced.

372 Pauperes quinam dicantur?

373 Ad obtinendam Dispensationem in forma pauperum, debent Oratores esse pauperes & miserabiles.

374 Ita ut labore & industria tantum vivant.

375 Multi sunt miserabiles, sed non pauperes.

376 Non omnes, qui labore & industria vivunt, sunt capaces Dispensationis in forma pauperum.

377 Consuetudo contraria non est attendenda.

378 Cum invalida sit.

379 Pauper est, qui de presenti nihil habet.

380 Eius de futuro multum sperat, vel curio obtenturus sit.

381 Liberi divitum parentum ad propositum quando dicantur pauperes, & num. seq.

382 Bona Oratorum debent computari deducto aere alieno, & oneribus.

383 Pauper est, qui 50. aureos non habet in suis bonis & num. seq.

384 Et qui ex suis bonis nullos fructus percipit. & num. seq.

387 Si Oratores habent bona, ex quibus saltem aliquos fructus annuatim percipiunt, id exprimi debet.

388 Pauperes ad propositum plures in specie adducuntur & quatuor segg.

393 Non sunt pauperes, qui ex suis bonis percipiunt notabiles annuos fructus.

394 Aut notabilem quantitatem in parata pecunia habent.

395 Modica pecunia non eximit a paupertate.

396 Puella modicam dotem v. g. 50. florenos habens est pauper ad praesens.

397 Oratores ambo debent esse pauperes. Pluralis numerus saltem dualitatem requirit. Ibid.

398 Oratores debent habere attestacionem de paupertate ab Ordinario.

- 399 Domicilii habitacionis.
- 400 Ad dispensationem in forma pauperum requiritur iusta causa: & qua?
- 401 An, & quando pauperes debeant personaliter Romam pergere pro Dispensatione in forma pauperum?
- 402 Interrogatoria ab Urbano VIII. prescripta, proponenda testibus pro informatione de paupertate Oratorum.
- 403 Formula attestandi de paupertate Oratorum, & num. seq.
- 405 Quid, si Ordinarius de paupertate Oratorum dubitat?
- 406 Formula Dispensationis in forma pauperum.
- 407 Clausula in ea observanda quae? & seq.
- 409 Dispensandis in forma pauperum debet penitentia publica imponi.
- 410 Et servitium personale pro pia fabrica certo tempore.
- 411 Per Decretum: & quale?
- 413 Potest & debet Episcopus quaevis Matrimonia prohibere, & impedire, ex quibus timeantur scandala.
- 414 Si Executor Dispensationis in forma pauperis aliquid accipit, Dispensatio nulla est.
- 415 Praxis exequendi litteras in forma pauperum: & num. seq.

366 **S**upra jam dictum habetur, Curiam Romanam Dispensationem concedere pro foro externo, vel in forma ordinaria, vel in forma pauperum. De priori hucusque ad longum egimus. De posteriori vero in praesenti §. agemus. Pro cuius majori intelligentia praenotandum est; quod Paupertas pro calibus Dispensationis matrimonialis dupliciter allegari possit, & solet in Curia Romana. Primo tanquam causa finalis seu motiva, seu principalis pro obtinenda Dispensatione; & aliud non est quam defectus competentis dotis, de quo supra num. 81. Secundo non ut causa principalis obtinendi ipsam Dispensationem in substantia, sed ut causa pro accidens, & ad id allegata, ut Dispensatio concedatur gratis, seu abique compositione, vel taxa pecuniaria, quam dispensati in forma Ordinaria solvere debent. Cum enim multi sint pauperes, qui media non habent ad solvendam praetaxam, Ecclesia pia Mater omnibus providere volens, & ne pauperes destituantur necessariis Dispensationis mediis, praeter Ordinariam, introduxit specialem formam gratis dispensandi cum pauperibus, vi cuius dispensatio facta vocari solet in forma pauperum.

367 **Q**uæritur I. Quid sit Dispensatio in forma pauperum? à quo? & ob quas causas fieri possit, & solet? Resp. I. Dispensatio in forma pauperum est illa, quæ pro foro externo ex legitima causa gratis dispensatur cum verè pauperibus, & miserabilibus personis, non habentibus sufficientia media ad solvendam taxam pecuniariam aliàs solvi solitam. Ita in re communis: patetque partim ex terminis, partim ex dictis num. præced. & dicendis statim infra.

368 **R**esp. II. Dispensatio in forma pauperum non tantum à Papa, sed etiam ab Episcopis (in calibus sibi concessis) fieri potest & solet. Caret iterum controversiâ. Patetque continua praxi, qua videmus, non tantum Papam, sed & Episcopos gratis dispensare cum illis pauperibus, qui nulla media solvendi habent.

369 **R**esp. III. Dispensationem in forma pauperum Curia Romana ob nullam aliam causam dare solet, quam ob copulam, vel suspicionem copulae inter laborantes impedimento habitæ, vel potius ob mu-

lieris infamiam, & scandala verosimiliter inde secutura, nisi Matrimonium inter eos sequatur. Iustus lib. 1. cap. 7. num. 2. Corrad. lib. 8. cap. 5. restantes de constante stylo Curiae. Addit Iustus, graviter decipi Doctores, qui putant, eam etiam ex aliis causis dari: inter quos est Gobath Tract. 9. à numero. 654. quare autem ob allegatas causas dispensetur, vide supra num. 94. & 95. ubi amplius de his causis.

Resp. IV. Extra Curiam, uti apud Nuncium, 370 vel Episcopum, utpote qui ex privilegio, seu speciali facultate generaliter concessa dispensant, non tantum ex dictis num. præced. sed etiam ex aliis à n. 69. allegatis causis datur Dispensatio in forma pauperum, seu gratis. Patet experientia & praxi. Imò si Episcopus vi privilegii dispensat, dispensatio cum quovis etiam divite semper gratis, & sic in forma pauperum fieri debet. Ratio est; quia speciales facultates, seu quasi privilegia Episcopis Germaniae, & aliis ab urbe longè distantibus concedi solite, semper expressè habent hanc clausulam: *Et præfata facultates gratis & sine ulla mercede exercentur*; uti patet ex copia num. 22. allegata.

Nec allegari contra hanc clausulam potest consuetudo contraria, eò quod singulis quadrienniis facultates præfate expirant, & de novo peti debeant, ac non nisi cum dicta clausula concedi de novo soleant; intra quod tempus consuetudo non potest legitime præscribi; uti patet ex dictis Lib. I. Tit. IV. de Consuetud. Consuetudo autem legitime non præscripta nil valet per dicta arg. c. fin. de Consuetud. lib. 1. nisi legitime sit præscripta.

372 **Q**uæritur II. Quam sint, & reputentur pauperes ad hoc, ut eidem concedatur Dispensatio in forma pauperum, seu gratis? Resp. I. quavis aliàs nomine pauperum non tantum veniant illi, qui mendicant, sed etiam, qui non habent sufficientia, quibus se iuxta statum sui conditionem decenter sustentare possint. Barbof. lib. 3. Jur. Ecclesiastici universi cap. 17. num. 23. & de Appellat. Verborum Jur. v. Pauper. Reginald. in Praxi penitent. lib. 30. Tract. 3. n. 101. Mascard. de Probat. conclus. 1154. num. 13. Iustus lib. 1. cap. 7. num. 69. ut proin etiam Illustres ac Nobiles, imò etiam Principes, ac Duces pauperes sint, ac dici possint, qui, etsi alimenta habeant, tamen egent iis, quæ ad honestam sustentationem pro statû conditione sunt necessaria, ut loc. cit. bene advertit Barbofa. Ac propterea quis pauper dicatur, plurimum Judicis arbitrio decidendum relinquatur, qui attenda personarum, & circumstantiarum qualitate arbitrabitur. Barbof. de Appellat. Verbor. Jur. v. Pauper. num. 4. Iustus loc. cit. num. 70. Gonzalez de Regul. 8. Cancell. Gloss. 4. num. 43. Surd. de Aliment. Tit. 7. q. 9. numer. 10. Cum universaliter ea, quæ à Jure definita non sunt, ac sub certa Regula comprehendere nequeunt, Judicis arbitrio relinquuntur, l. 1. ff. de Jure deliberand.

Tamen ad propositum non sufficit Oratores esse pauperes, sed debent etiam esse miserabiles, ita ut proprio labore & industria tantum vivant. Corrad. lib. 8. cap. 5. à num. 4. Iustus lib. 1. cap. 7. à numero. 72. Ratio est; quia Papa in suis litteris id tanquam conditionem in sensu copulativo requirit, dicens: *dummodò ipsi sint pauperes, & miserabiles, & ex labore & industria tantum vivant*, ubi, quia dictio & est conjunctiva & copulativa l. si quis ita. ff. de Verb. Obligat. non sufficit unum probare, l. fin. §. Fructus. b. ff. quæ in fraudem. Accedit, quod verbum miserabiles in litteris additum, debeat aliquid operari arg. l. si quando ff. de Legat. l. cum nil frustratorum aut superfluum debeat contineri in litteris Apostolicis c. si à Papa. de Privileg. in 6. adeò ut nec syllaba

laba in eis superflue poni aut vacare debeat, can. fin. caus. 28. q. 1.

374 **N**eque sufficit quævis miserabilibus, sed requiritur miserabilitas à paupertate, & defectu bonorum nomen habens, ita ut ratione illius labore & industria tantum vivat; prout expressè vult clausula apposita, ubi, cum dictio tantum ex sua natura limitativa sit, restrictiva & exclusiva l. Non tantum ff. de Petit. heredit. & l. Adversus C. si adversus rem. quemvis aliam vivendi modum excludit l. qui in aliena. §. liberos. ff. de Negot. gest. adeò, ut qui alio modo quam labore & industria vivere possunt, pauperes & miserabiles ad propositum non sint, & consequenter neque capaces Dispensationis in forma pauperum.

375 **H**inc licet claudi, furii, caeci, senes decrepiti, diuturno morbo fatigati etiam divites, ex natura dicantur miserabiles personæ; sicut etiam omnes pupilli & viduæ quoad effectum gaudendi privilegio in aliis, ut per Jura & Doctores satis probat Barbof. de Appellat. Verbor. Jur. v. Miserabilis, tamen ad propositum non sunt miserabiles, si habent, unde vivant abique labore & industria; imò est ex his aliqua persona effect simul pauper & miserabilis v. g. nobilis pupillus sufficientia quidem abique labore & industria habens ad sustentationem, non tamen ad honestam statum sustentationem, incapax foret Dispensationis in forma pauperum, quia deest conditio, quod labore & industria tantum vivat.

376 **R**esp. II. Non omnes, qui ex labore & industria vivunt, quales sunt v. g. agricolæ, opifices, operarii, mercenarii &c. sunt capaces Dispensationis in forma pauperum. Iustus lib. 1. cap. 7. num. 85. Rota decif. 552. nu. 4. p. 4. Recent. & alii communiter. Ratio est; quia non sufficit ad hanc conditionem labore & industria vivere, sed requiritur etiam copulative, ut sint pauperes, & miserabiles, uti constat ex clausula nu. 373. citata, atqui non omnes, qui labore & industria vivunt, sunt pauperes, & miserabiles, uti bene advertit Mascard. de Probat. Conclus. 1154. n. 36. Lothier de Re Benef. lib. 2. cap. 36. nu. 33. Iustus lib. 1. cap. 7. nu. 86. cum habere artem, & habere bona, æquiparentur, Leoncill. de Opib. pauper. p. 1. q. 2. nu. 45. constatque passim experientia, plurimos, qui labore & industria vivunt, divites, vel satis habentes esse, aut certè ita pauperes & miserabiles non existere, quin consuetam, & Officialibus Romanæ Curiae debitam taxam solvere queant.

377 **H**inc licet Gobath in Theolog. experiment. Tract. 9. num. 658. referat, in Constatientiensi Diocesi vigere consuetudinem, vi cuius in materia Dispensationis pro pauperibus habentur, & consequenter attestationem pauperitatis ab Ordinario obtinent omnes illi, qui agriculturâ, opificio, arte etiam liberali, ut pharmacopœa, seu suamque familiam alunt; tamen hæc doctrina in aliis Diocesium, ubi hæc consuetudo non viget, practicari minime potest, ob dicta superioris.

378 **I**mò nec talem dictæ Diocesis consuetudinem approbare, aut eam pro legitima, vel secura reputare possunt. Ratio est, quod, licet introduci possit consuetudo contra legem c. fin. de Consuetud. tamen nequeant introduci contra præceptum Superioris, seu contra obedientiam per dicta superioris, consequenter cum in quibusvis Dispensationis litteris Apostolicis detur semper novam præceptum, seu mandatum, ut litteras Dispensationis in forma pauperum non exequatur, nisi Oratores pauperes & miserabiles existant, & ex suis labore & industria tantum vivant; contra dictas litteras, estque insertum mandatum, & clausulas consuetudo

introduci nunquam potest; secus foret, si ipsa Romana Curia talem consuetudinem approbare.

379 **R**esp. III. Ad dignoscendum, utrum Oratores sint verè pauperes & miserabiles, proprio labore & industria tantum viventes, sequentes Regulas observare juvat.

I. Attendi debet, an, & quanti valoris bona possideant de præsentibus? si enim nulla bona possident, sed præcisè labore & industria vivunt, procul dubio pauperes & miserabiles ad propositum sunt, etiam si in futurum bona acquirendi ex legato v. g. hereditate consanguineorum, aut fideicommissio certam spem, vel jus habeant. Alexander de Nevo Consl. 74. nu. 12. Innocent. in c. Significavitibus. de Officio delegat. nu. 4. Sperell. decif. 156. num. 16. Iustus lib. 1. cap. 7. à num. 108. Ratio est; quia à paupertate præsentibus non liberat spes, nec consideratur jus in spe, sed in re; cum sola spes non alat, nec vestiat hominem, ut cum aliis bene observant DD. citati.

380 **E**x quo inferat I. Oratores de præsentibus nulla bona possidentes verè esse, & dici ad præfens pauperes ac miserabiles, consequenter capaces Dispensationis in forma pauperum, est divites parentes, & propterea pinguem hereditatem acquirendi spem habeant, si eidem de Jure communi, vel lege municipali in vita parentum legitima, vel dos non competit, quales sunt, qui ex aliqua causa ex dictis Lib. III. Tit. XXVI. à num. 483. exhereditarij possunt; item quorum parentes quidem satis habentes, sed tamen ob copiam liberorum, vel alias circumstantias, dotem, vel alia media de præsentibus præbere nequeunt. DD. citati, atque Sayrus in Floribus lib. 1. decif. 3. tit. 3. Rota decif. 499. num. 4. p. 1. divers. ob rationes dictas.

381 **D**icitur autem notanter, si de Jure, vel lege municipali legitima vel dos eis non competit; hoc enim si habent, prout habent, si parentes divites exhereditandi, vel Matrimonio resistendi nullam rationabilem causam habent, pauperes dici non possunt. Iustus lib. 1. cap. 7. à num. 92. Mascard. de Probat. Conclus. 1154. num. 37. Ratio est; quia tunc possunt cogere parentes ad præstanda alimenta. l. cum sequentibus C. de alimentis filijs, & dandam dotem arg. l. fin. C. de Dotis promiss. Etiam si sola Mater dives sit l. si quis §. idem in litteris. ff. de liberis agnosc. & alend. qui autem habet actionem ad statim acquirendas divitias, seu sufficientia media, pauper non est arg. l. qui potuit facere ff. de R. J. hinc bene dicit Rota decif. 72. nu. 5. p. 4. recent. divitem reputari, qui potest facere, ut dives sit.

382 **V**erum, quia juxta dicta superioris Dispensatio in forma pauperum non conceditur, nisi ob præcedentem copulam, vel suspicionem; copula autem incestuosa sit magnum crimen, graves secum poenas trahens, ita, ut si in primo gradu sit, poenam capitis, in aliis verò gradibus relegationem mereatur, plerumque parentibus anam præbet, quod vel Matrimonio cum incestuosa persona justè resistere, & non parenti proli dotem, vel alia media denegare valeant, consequenter liberi eorum pauperes de præsentibus existant.

383 **I**I. Si Oratores, vel parentes eorum, bona habent, debet valor eorum considerari, & attendi deducto ære alieno, & oneribus tam ordinariis, quam extraordinariis. Ratio est; quia bona aliquis esse non dicuntur, nisi deducto ære alieno. l. Mulier bona 72. ff. de Jure dotium. l. Non possunt. ff. de Jure Fisci; & longè minoris æstimantur bona oneribus præstandis gravata, quam libera per vulgaria.

384 **Q**uod, si Oratores deducto ære alieno in bonis quinquaginta aureos non habent, ordinariè censentur.

lentur pauperes. Corrad. lib. 8. cap. 5. num. 12. Iustis lib. 1. cap. 7. num. 69. Mascard. de Probat. Concl. 1154. nu. 15. textu claro l. Nonnulli 10. ff. de Acquis. libi: Nonnulli propter paupertatem, ut sunt, qui minus quam quinquaginta aureos habent.

385 III. Non debent ipsa bona Oratorum, aut parentum nudè considerari, sed fructus eorum; quia ad dignoscendum, an Oratores sint pauperes & miserabiles, principaliter attenditur non ad ipsa bona, sed ad fructus, quos inde percipiunt, vel percipere possent, si ea locarent. Leoncill. de Opibus pauper. p. 1. q. 6. num. 20. Iustis loc. cit. num. 115. Rota decis. 48. num. 8. p. 2. divers. quia bona habere & pauperem esse, paria sunt; si quis ex bonis fructus non percipit.

386 Hinc si deducto ære alieno, & expensis, computatiue oneribus nil, vel parùm remanet Oratoribus, coactis propterea, quòd labore & industria tantum vivant, verè pauperes & miserabiles censendi sunt. Neque tenentur bona, quæ habent vendere, ut ex pretio solvere queant taxam pro Dispensatione, si ex fructibus perceptis, aut percipiendis, vel aliis, quæ habent, solvere non valent, uti bene notat Iustis l. 1. cap. 7. n. 115.

387 Illud tamen notandum cum eodem Iustis lo. cit. n. 117. Corrad. lib. 8. cap. 5. num. 22. quòd, si Oratores labore & industria aliàs viventes habeant bona, ex quibus aliquos saltem, & tot fructus percipiunt, ut ex illis annuatim percipiendis per duos vel tres menses anni circiter vivere, consequenter si non totam, saltem aliquam partem taxæ inde solvere valeant, id Ordinarii in Attestatione exprimere debeant juxta dicenda infra. Quod idem dicendum videtur, si paratam pecuniam habent juxta dicenda infra num. 394.

388 Inferitur, Pauperes & miserabiles consequenter Dispensationis in forma pauperum capaces esse. Primum, qui nulla bona habent, ex quibus fructus percipiunt, indeque solo labore & industria vivunt: quales in his partibus sunt valde multi opifices, & operarii diurni, scribæ, cantores, Ludimagistri &c.

389 Secundò, qui quidem bona aliqua habent, sed valorem 50. aureorum non attingunt juxta dicta n. 384. Ratio est; quia fructus, qui ex hujusmodi bonis etiam locatis percipi possent, omninò modici præsumuntur.

390 Tertio, qui bona aliqua v. g. domum in valore 50. aureos quidem excedentem, & 400. v. g. vel 500. vel etiam 1000. florenos attingentem, tamen ære alieno gravatam, vel oneribus ita subiectam habent, ut deductis deducendis tot fructus non percipiunt, quibus absque labore & industria ultra mensiem vivere possent per dicta nu. 386. quales in his partibus sunt valde multi opifices, & alii de communi plebe, qui licèt domum v. g. hortum, aut agrum habeant, tamen stauræ, exactiones, & alia onera (præsertim belli temporibus, quæ utique etiam considerari debent) præter expensas pro conservandis fartis tectis necessarias, tantum absorbent, ut si domus v. g. pretium 1000. florenorum attingens locaretur, de locationis fructibus vix 10. ad sustentationem bimestrem non sufficientes remanerent, præsertim si non allodialia, sed emphyteutica, vel vitalitia bona v. g. existunt, prout in partibus nostris valde in usu sunt.

391 Idem dicendum de plurimis Rusticis præcipuè verò minoribus, qui mediam tantum vel quartam partem boni, seu prædii rustici possident, nur eimen haben oder viertel Hoff haben, utpote qui hoc tempore plerumque, vel alieno ære, vel stauris, exactionibus, & aliis oneribus ita gravati existunt,

ut, si bona sua locarent, deductis deducendis modicum perciperent.

Et hæc vel maximè procedunt, si Oratores ex 392 suis nil habentes sunt liberi ita pauperum à n. 388. specificatorum; eùm enim in talibus casibus ipsimet parentes bonis indigeant, liberi nil, aut parùm, aut certè tantum dare non possunt, ut statum pauperum ac miserabilium juxta hæcendis dicta evadant.

Econtra inferitur ulterius, pauperes & miserabiles 393 ad propositum non esse l. illos, qui ex bonis suis tantos fructus percipiunt, vel saltem, si locarent, percipere possent, ut absque ulteriori suo labore & industria per totam, vel majorem, vel saltem notabilem v. g. sextam partem anni vivere possint per dicta nu. 380. & 385. Nec refert, quòd de facto, utpote non locantes, tantum ex bonis non percipiunt; dummodò, si locarent, percipere possent; quia, uti constat ex instructione infra n. 402. ponenda, Papa non tantum considerat, quantos fructus ex bonis quis percipiat, sed etiam quos, si illa locaret, percipere possit.

II. Qui, licèt nulla bona immobilia habentes, 394 ex industria & labore tantum vivunt, tamen de facto ex eadem industria & labore, vel alium de notabilem summam saltem 50. aureos attingentem, in parata pecunia congregatam habent, de quibus, si non totam, saltem partem taxæ consueta solvere queunt. Ratio est; quia Pontifex cum iis solis dispensare in forma pauperum intendit, qui ita pauperes & miserabiles sunt, ut ex suis labore, & industria tantum viventes nil aliud, vel saltem nil notabile, unde vivant, habeant, consequenter si notabilem summam pecuniarum, ex qua vivere possunt, paratam habent, jam non amplius ex labore & industria tantum vivere dici possunt. Aliàs certè pecunias abundantes Opifices & rustici dici possent pauperes & miserabiles contra dicta num. 376. & stylum.

Dicitur autem notanter notabilem summam 50. 395 aureos attingentem, quia minor summa non facit, quin aliquis aliunde nil habens, solumque labore & industria vivens, pauper, & miserabilis de præsentia dici, & consequenter Dispensationis in forma pauperum capax esse valeat per dicta nu. 384. Cui accedit, non esse præsumendam de Curia Romana, vel ejus Officialibus, quòd, si Oratores profrus nil, quam modicam aliquam quantitatem pecuniarum habeant, eadem misellos privare, & sibi pro taxa attribuire velint.

Ex quo sequitur, puellam, quæ pro dote modicam summam v. g. 50. vel 60. vel etiam 100. florenos in parata pecunia, & præterea nil habens, labore & industria tantum vivere debet, verè adhuc pauperem & miserabilem esse ob dicta num. 384. præsertim quia pecunia ex se non fructificat, & si tali summa quid emeret, emptumque locaret, locatum tantos fructus non pareret, quibus solis per notabilem anni partem vivere possit. Idem est de viro solam modicam hujusmodi summam pecuniarum, & præterea nil habente: secus foret, si præter talem summam pecuniarum etiam alia bona v. g. domum haberet.

Queritur III. Utrum ambo Oratores debeant 397 esse pauperes? Item quæ præter paupertatem adhuc requirantur? Præsertim an Oratores, & qui indigeant attestazione Ordinarii, ut Romæ obtineant litteras Dispensationis in forma pauperum?

Resp. I. Ad obtinendam Dispensationem in forma pauperum non sufficit, unum ex Oratoribus esse pauperem & miserabilem, sed omninò requiritur, ambos esse tales. Iustis lib. 1. cap. 7. num. 2. Corrad. lib. 8. cap. 5. num. 2. testans de constanti praxi & stylo Curie, qui stat loco legis per vulgaris

garia jam sæpè citata. Patetque ex ipsa clausula, quæ cum ambo Oratores in plurali pauperes & miserabiles asserat, in plurali verificari debet; nam pluralis numerus saltem dualitatem requirit, nec uno contentatur l. ubi numerus. ff. de Test. Hinc in praxi audiendus non est Gobath in Theolog. experim. Tract. 9. nu. 659. ubi probare conatur, sufficere paupertatem alterutrius.

398 Resp. II. Litteræ Dispensationis in forma pauperum Romæ non concedantur, nisi Oratores ab Ordinario legitimam habeant attestacionem de eorum paupertate. Patet ex hodierna praxi & instructione ab Urbano VIII. Ordinarii præscripta, pro capiendi informacione de paupertate Oratorum, de qua infra num. 402.

399 Notandum tamen, quòd, si Oratores, vel unus ipsorum extra locum originis, domicilium habitacionis contraxissent, ibique saltem per annum existerent, Ordinarius domicili habitacionis de paupertate informacionem capere, & attestari deberet, prout ex stylo Curie docet Corrad. lib. 8. cap. 5. num. 24. Iustis nu. 123. Ratio est; quia Ordinarius domicili habitacionis præsumitur melius scire statum præsentem Oratorum; cum juxta illud tritum dici solet: mutatio loci, mutatio fortune, per ea, quæ dicit Bart. in l. Juris gentium §. si ante aditam. ff. de Pañ. Debet autem tam Ordinarius in sua attestacione, quam Oratores in supplicacione mentionem hujus facere juxta dicenda infra n. 403. quatenus dein litteræ ad Ordinarium Domicilii habitacionis dirigi queant.

400 Resp. III. Præter paupertatem requiritur etiam juxta causia dispensandi, & quidem una ex dictis numer. 369. DD. ibidem allegati testantes de stylo.

401 Resp. IV. Oratores, qui infra centam milliaris (intellige Italica, quorum unum mediam horam non omninò efficit) ab urbe Roma distant, & saltem in tertio, vel secundo & tertio gradu conjuncti sunt, ipsimet cum attestacione Ordinarii Romanæ personaliter se conferre, & ibi pro Dispensatione in forma pauperum sollicitare debent, non item qui in remotioribus quarto nempe vel tertio & quarto conjuncti sunt, vel se atinent.

Quòd si in primo, vel primo & secundo, aut secundo æquali, vel primo & tertio conjuncti inveniuntur, Oratores pauperes debent, non obstante quacunque paupertate, & distantia, pro impetranda Dispensatione in forma pauperum personaliter tendere Romanam, ferentes secum attestacionem Ordinarii de eorum paupertate. Eò quòd regulariter loquendo cum ita conjunctis Papa in forma pauperum pro foro externo non dispenset, nisi Oratores personaliter Romæ se præsentent, etiam mendicando illuc ire, vel redire debeant. Ita ex praxi & stylo Curie docet Corrad. lib. 8. cap. 5. à n. 25. addens tamen, Papam subinde ex speciali & extraordinaria gratia pro Oratoribus præsertim ultramontanis expedire litteras Dispensationis in forma pauperum, etiam in dictis propinquis gradibus conjuncti Romam personaliter non accedant.

402 Queritur IV. Qualiter in praxi Ordinarii informacionem de paupertate Oratorum capere: qualiter item de eadem testari possint, & debeant? Resp. I. pro capiendi informacione de paupertate Oratorum, debent Ordinarii procedere juxta novissimam instructionem Urbani VIII. vi cuius duos saltem idoneos testes assumere, eoque examinare debent super interrogatoriis sequentibus ab ipsa Curia præscriptis, juxta teorem sequentem.

In primis testis moneatur de gravitate juramenti, in hoc præsertim negotio, ob illius importantiam & gravitatem.

Interrogentur de nomine, cognomine, patria, etate, exercitio, & habitacione.

Interrog. an sit civilis, vel exterus, & quatenus sit exterus, à quanto tempore sit in loco, in quo deponit.

Interrog. an ad examen accesserit sponte, vel requisitus.

Interrog. an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum à contrahere volentibus.

Interrog. an cognoscant ipsos contrahere volentes, à quanto tempore.

Si responderint negativè, dimittantur.

Si responderint affirmativè, Interrog. quid Sponsus in omnibus suis bonis, generis cuiuscunque, possideat? & ad quem valorem? & in causa scientiæ.

Interrog. quid, si bona prædicta locarentur annuatim ex illis percipere possit? & in causa scientiæ.

Interrog. an alibi alia bona habeat; ex quibus majores fructus percipere possit? & in causa scientiæ.

Interrog. an esse possit, quòd sponsus alia bona possideat, ipso teste ignorante? si negaverit, det rationem suæ negativæ.

Interrog. an sciat, quam dotem habeat sponsa, vel alia bona, & in quo dos consistat, an in mobilibus, vel immobilibus.

Interrog. quid, dotem locando, percipere possit annuatim? & in causa scientiæ?

Interrog. que onerata sponsus quam sponsa habeant super bonis prædictis, tam ordinaria, quam extraordinaria? & in causa scientiæ.

Interrog. an sciant inter Oratores aliquid parentela vinculum intercedere, & quale? si affirmant.

Moneantur delineare arborem, & dicere, quas personas ex illa cognoverint, & quomodo ab illis reputarentur?

Interrog. an Oratores orthodoxæ fidei cultores existant? & in causa scientiæ.

Interrog. an ipsi testes in Paschate communicaverint?

Resp. II. Si finito examine reperit Ordinarius, 403 ambos Oratores esse reverà pauperes & miserabiles, suisque labore & industria tantum vivere juxta dicta hoc §. debet eisdem dare Attestationem tenoris sequentis, aut similis.

Nos &c. Universis & singulis presentis visuris, lecluris, pariter & auditoris, notum facimus, & attestamus Paulum N. & Annam N. Diaecesis nostræ (si alterius Diaecesis ambo, vel unus eorum existentes in Attestantis Diaecesi tantum haberent domicilium habitacionis, id juxta dicta nu. 399. exprimi, & v. g. dici deberet: aliàs Diaecesis Passaviensis, in hac verò Diaecesi Ratisbonensi à tanto N. tempore commorantes, in qua domicilium contraxerunt, Vel Paulum N. Diaecesis nostræ Ratisbonensis, & Annam N. Diaecesis Estetensis, in hac tamen Diaecesi per N. tempus commorantes, in qua domicilium contraxit) qui super secundo & tertio (vel alio) consanguinitatis vel affinitatis gradu dispensari cupiunt, cum causa in libello eorum supplicii expressa, ita pauperes & miserabiles esse, ut ex proprio tantum labore & industria vivant; idque nobis constare ex depositione fide dignorum testium, jussu nostro servatâ formâ instructionis Alme Urbis examinatorum, amosque orthodoxæ fidei cultores exillere, in quorum fidem &c. Datum &c.

Resp. III. Si Ordinarius reperit, Oratores non omninò pauperes, & miserabiles exillere, sed vel habere bona, ex quibus annuatim fructus vel redditus percipiunt, vel percipere possent, sufficientes pro sustentatione duorum, aut trium mensium

sum v. g. non potest absolutum paupertatis testimonium dare, sed debet fructus, seu redditus annuos exprimere sequenti aut simili modo.

Nos &c. ut supra: *testatur N. N. qui &c. possidere bona, ex quibus deo factis oneribus annuatim 100 florenos percipere possunt; in reliquis autem ita pauperes, & miserabiles esse &c.* ut supra: idque ob dicta superius num. 387.

405 Resp. IV. Si verò ex depositione testium difficulter se resolvare potest, & dubius, vel anxius haeret, optinè ac securissimè facit, si litteras testimoniales de examine super eorum paupertate facta, una cum tota depositione testium Oratoribus clausas præbet, relinquens iudicio Officialium Curiae Romanae de paupertate Oratorum decernere, prout prudenter suadet Corrad. lib. 8. cap. 5. num. 23.

406 Queritur V. Quae sit formula Apostolicarum litterarum Dispensationis in forma pauperum? Et quae clausulae in ea potissimum observandae? Resp. I. Litterae Dispensationis in forma pauperum in Curia Romana expediti solent sequenti modo:

*Alexander Episcopus, servus servorum Dei &c. ut supra in formula litterarum dispensationis num. 29; allegata, usque ad verba, si per informationem praeces veritate tibi repereris, super quo conscientiam tuam oneramus; post hoc enim paulò aliter, & ita tenor sequi solet: tunc eisdem Laurentium & Annam, qui pauperes, & miserabiles existunt, & ex suis labore, & industria tantum vivunt, imprimis ab invicem separe, deinde, si veniam à te petierint humiliter, eam illis penitentiam publicam imponas, quae alios deterreat à similibus committendis, utque idem Laurentius operam suam conferat Fabricae, aut in aliud servitium alicuius Ecclesiae, vel loci pii, tribus saltem mensibus, aliisque injungas, quae de Jure fuerint injungenda; Quae penitentia publicae peracti ipsos ab incestu reata, & excessibus hujusmodi, imposita etiam prius eis propter incestum hujusmodi, arbitrio tuo, penitentia saluati, & recepto ab eis juramento, quòd sub spe facilius habenda Dispensationis hujusmodi incestum hunc non commiserint, in utroque foro, Auctoritate nostra, hac vice duntaxat, absolvas in forma Ecclesiae consueta, & quatenus contra ipsos causa quoquo modo in iudicium deducta fuerit, pario iudicatio. Demum si tibi expediens videbitur, quòd Dispensatio hujusmodi sit eis concedenda, neque scandalum sit ex ea oriturum, super quo conscientiam tuam oneramus, tunc cum eisdem Laurentio & Anna, dummodò ipsa propter hoc raptia non fuerit, ipsique pauperes & miserabiles existant, ac ex suis labore & industria tantum vivunt, & postquam in separatione praedicta arbitrio tuo perseveraverint, quòd impedimento Quarta Consanguinitatis gradus hujusmodi, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, Matrimonium inter sese publice, servatò formà Concilii Tridentini, contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare, & in eo postmodum remanere libere, & licitè valeant, Auctoritate nostra dispenses, Prolem susceptam, si qua sit, & suscipiendam legitimam nuntiando; Volumus autem, quòd, si sprete monitione nostra hujusmodi, aliquid muneris, aut premit occasione praemissorum exigere, aut oblatum recipere temerè presumpseris, Excommunicationis latae sententiae poenam incurras, quae tamdiu innovata existas, donec Absolutionem à se de praedicta per satisfactionem condignam ab ipsa excommunicationis sententia merueris obtinere, & nihilo minus Absolutio, & Dispensatio per te facta nullius sint roboris, vel momenti. Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno &c. Mensis &c. Pontificatus nostri anno &c.*

Resp. II. Clausulae aliis dispensationibus communes quomodo intelligi, & verificari debeant, jam patet ex dictis à n. 313. Restant igitur examinandae clausulae litteris Dispensationis in forma pauperum speciales, inter quas prima est; *qui & infra, dummodò ipsi pauperes & miserabiles existant, ac ex suis labore & industria tantum vivunt.* Verùm hæc clausula quomodo intelligi ac verificari debeat, jam habes supra à n. 372. ubi latè dictum, quinam ad propositum sint pauperes & miserabiles.

In primis ab invicem separe: vi hujus clausulae debet Executor antequam absolvat Oratores, vel cum eis dispenlet, eosdem (si in eadem domo simul cohabitent) separare; cum enim dispensandi in forma pauperum ante Dispensationem publicam penitentiam agere, & per tres saltem menses fabricae pie laborem impendere debeant, necessè est, ut ad evitandum scandalum populi, & periculum lapsus ex parte Oratorum inter se separati vivant. Ad quem finem Executor facit etiam Decretum juxta num. 412.

Deinde &c. eam illis penitentiam publicam imponas, quae alios deterreat à similibus committendis. Vigore hujus clausulae debet Executor dispensandi in forma pauperum necessàriò imponere penitentiam, ubi tamen per publicam non intelligitur solemnitas, quae fit cum quadam forma ignominiosa, sed talis, quae communitati palàm innotescat, ita ut aliis ad exemplum & terrorem esse valeat. Justis lib. 1. cap. 7. à num. 127. arg. l. 1. c. ad Leg. Jul. repet. &c. Quæstionem de Penitent. & Remiss. cum Concord. Hinc, licet in pluribus locis dispensandi in forma pauperum ob prævium incestum, debeant in die Festo aliquo, quando populi multitudo convenit, candelas accensas in manibus tenentes ante fores Ecclesiae ad spectaculum populi stare, tamen, quia hoc genus poenae in his partibus est ignominiosum, non videtur quadrare, sed aliud Executoris arbitrio assumendum.

Utque idem Joannes operam suam conferat fabricae, aut in aliud servitium alicuius Ecclesiae, vel loci pii tribus saltem mensibus. Vigore istius clausulae omninò pro dicto tempore demandare debet Executor per decretum Oratorem ad præstatum servitium ante Dispensationem, adeò, ut nec in die dispensare valeat. Justis lib. 1. cap. 7. nu. 154. quia dictio saltem est implicativa, non limitativa. Barbo. de Diction. 355. hinc, licet aliàs minima non veniant in considerationem, nec de eis curet Praetor. l. In Commodatis. 18. §. possunt, in fine, tamen id non procedit, quando minimum est conditio vel de forma. Tufch. l. M. Concl. 239. nu. 39. Decius in c. 1. de Appellat. nu. 11. & seqq. Barb. de Axiomat. Axiom. 151. nu. 7. arg. l. si debitor. §. 1. ff. quibus modis pignus.

Quòd si ob urgentem aliquam causam v. g. ob legitimationem prolis, Oratrice partui jam propinqua, necesse est, Matrimonium accelerari, debet Executor scribere summo Datario Papae, qui teste Justis lib. 1. cap. 7. nu. 167. Corrad. lib. 8. cap. 6. nu. 57. plenam in his habet potestatem, soletque Delegato ita rescribere, ut, si tales causa, quae sibi exposita fuerunt, verae sint, ipsamque Matrimonium non possit differri, donec tempus servitii expletum sit, factis prius per Oratores aliis penitentis impositis, praestitaeque per Oratorem cautione idonea de conferendo quamprimum contratto Matrimonio operam suam ad formam litterarum Fabricae, aut in aliud servitium Ecclesiae, vel loci pii sibi assignati dispenset.

Ceterum, licet ex prima delegatione nec unicum diem de tribus mensibus remittere possit, potest tamen majus spatium, quam fuit assignatum Oratori pro conferenda opera sua imponere pro qua-

qualitate incestus, si, ut ordinariè fit, in litteris apponitur determinato tempore dictio saltem. Corrad. loc. cit. num. 34. & alii. Ratio est; quia dictio saltem non excludit majora expressis, nec majorem numerum c. Excommunicamus. §. Addamus. de Heret.

412 Porro pro separatione faciendâ, publica penitentia imponenda, & servitio Oratoris praestando debet Executor facere Decretum, quod pro omnibus his tribus potest esse unicum tali modo.

*Die &c. Reverendissimus &c. in hac parte Delegatus pro executione litterarum juxta formam praescriptam Oratoribus penitentiam publicam injunxit, & mandavit, ut Oratores (si cohabitant) ab invicem separentur, donec &c. & quòd Orator per tres, vel sex menses (prout tempus fuit determinatum in litteris) continuis operam suam personalem praestare debeat servitio Parochialis Ecclesiae vel alterius pii loci (de quo servitio fides fiat à Rectore ejusdem Ecclesiae, vel loci pii) ad finem &c.*

Nec potest Executor ad Dispensationem procedere, donec sibi constet de penitentia publicè peractâ, & servitio per Oratorem praestato; de quo solet Rector Ecclesiae, vel loci pii, cui servitio, Oratori attestationem dare, quae actis inseritur, & de ea postmodum in executionis litteris mentio fit. Corrad. lib. 8. cap. 6. à n. 53. Justis lib. 1. cap. 7. n. 197. & alii. Ratio est; quia, cum hæc in ablative positâ requirant, conditionem importat. c. l. Debitor. ff. quibus modis pignus. Dicitur enim, quòd penitentia publicè peractâ &c. dicitur, ubi etiam notandum verbum peractâ, utpote actum perfectum, & consummatum esse natura sua denotans, arg. l. 1. §. si. ff. quod quisque Juris.

413 Nec scandalum ex ea, dispensatione scilicet, sit oriturum, vi hujus clausulae potest, & debet Executor negare Dispensationem, si ex ea scandalum rationabiliter timet. Felin. in c. Nihil prodest. de Praescripti. Corrad. loc. cit. nu. 63. Genuens. in Praxi Curiae Archiep. Neapolit. cap. 20. num. 13. Ratio est; quia, sicut ad vitanda scandala dispensatio conceditur per dicta supra; sic de converso, si ex Dispensatione timetur scandalum, nullo modo fieri debet. arg. c. 1. de Apostol. & c. Nihil de Praescripti ibi: nihil cum scandalo &c. In d. potest & debet Episcopus quodvis aliud Matrimonium, etiam ubi nullum aliud intervenit impedimentum, ex officio impedire, quando ex eo timeantur scandala v. g. graves inimicitiae inter Familias Genuens. loc. cit. Corrad. lib. 8. cap. 6. numer. 64. Justis lib. 1. cap. 7. numer. 239. arg. c. super eo. de Cognat. Spirit.

414 Et nihilo minus Absolutio, & Dispensatio per te faciendâ nullius sint roboris vel momenti; hæc clausula illud speciale facit, quòd, licet etiam prout null accipere liceat Executori, quando litteras Dispensationis in forma communi exequitur, juxta dicta num. 316. tamen, si aliquid pro illarum executione accipiat, exinde non invalidetur Dispensatio. Pro executione verò litterarum Dispensationis in forma pauperum, si aliquid accipit, praeter reatum culpae, & poenarum etiam nulliter agit, ipsaque dispensatio, & inde secutum Matrimonium nulla sunt, uti patet ex claris verbis clausulae, quod bene notandum.

415 Queritur VI. Qualiter in praxi Executor litteras Dispensationis in forma pauperum exequi possit, & debeat? Resp. I. Eodem servatè modo, quo litteras Dispensationis in forma communi juxta dicta à numer. 359. ita tamen, ut observet speciales clausulas à numer. 407. allegatas; vi quarum debet I. Oratores, si cohabitant, separare, juxta dicta numer. 408. II. Publicam eis penitentiam imponere per dicta numer. 409. III. Ipsi Oratori

operam personalem imponere vi dictorum num. 410. IV. De his peractis attestationem habere; Et tunc demum dispensare, per dicta num. 412.

Porro in capiendâ informatione, an preces veritate nitantur juxta dicta à num. 402. debet Executor testes prius de paupertate Oratorum jam examinatos, denuò reasumere, eoque super sequentibus interrogatoriis examinare.

1. An à se nuptia deposita ratificent, vel aliquid addendum, vel deprehensum habeant? & qui?

2. An non sciunt, vel dici audiverint, quòd i Oratores ab illo tempore, quo testes fuerunt examinati, acquisiverint alia bona, ex quibus majores fructus percipere possent? & quae? & quos fructus percipere possent?

3. An esse possit, quòd alia bona acquisiverint, ex quibus majores fructus percipere possent ipsi testibus ignorantibus?

Si respondent ex certa causa esse posse, quòd alia bona acquisiverint, assumendi sunt etiam alii testes desuper examinandi, qui sicut & praecedentes semper debent dicere causam, scientiam, seu rationem, unde hoc sciunt, per vulgaria.

Resp. II. Formula Executionis litterarum Apostolicarum Dispensationis in forma pauperum est eadem cum allegata n. 365. pro forma communi; ita tamen, ut idem inserat, quòd Oratores separaverint, etique penitentiam publicam, & Oratori servitium personalem ad tempus in litteris Apostolicis praescriptum injunxerit juxta annotata in dicta formula num. 365. allegata.

## §. IX.

De Praxi procurandi Dispensationem pro solo foro interno: ubi etiam de formula litterarum dispensationis hujusmodi, clausulis, Executoribus, & executione earundem.

## S U M M A R I U M.

- 417 Ratio continuationis.  
418 Sacra Penitentiarum dispensatio super omnibus & solis impedimentis occultis.  
419 Limitatur aliquo modo quoad impedimentum Consanguinitatis.  
420 Causae ob quas dispensat.  
421 Quomodo in supplicatio e ad obtinendam Dispensationem pro solo foro interno exprimi debent? Et num. seq.  
422 Quis error? & quae falsitas vitient illa? & num. seq.  
423 Modus supplicationis pro Dispensatione in ordine ad solam forum internum, & seqq.  
424 Formulae variae talium supplicationum, & seqq.  
425 Quòd dirigi debeant supplicationes?  
426 Commode subinde dirigitur ad aliquem Procuratorem Generalem.  
427 Formula scribendi Procuratori Generali, ut Dispensationem procuret.  
428 In litteris ad Sac. Penitentiarum omittuntur complementa.  
429 Qualiter quisvis pro Dispensatione in ordine ad forum internum facile scribere valeat?  
430 Quid faciendum, si responsum distius emanet?  
431 Formula litterarum Dispensationis pro solo foro interno super impedimento Affinitatis.  
432 Differri in nonnullis clausulis ab antiquo stylo.  
433 I. Discreto viro &c. d. claus. litteras ordinariè exequi nullus potest, nisi sit Doctor Theologiae, vel Juris Canonici.